



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 136. Perkinus ex Hibernia in Scotiam profectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

omnibus eos videndi & alloquendi deside- Sæcul. XV.
 rium accendit. Ceterum Gama Ulyssi- A.C. 1497.
 ponem non nisi exeunte Mense Augusto
 anni salutis millesimi quadringentesimi
 nonagesimi noni redierat.

§. CXXXVI.

*Perkinus ex Hibernia in Scotiam
 profectus.*

In Anglia Perkinus fraudum artifex, pri-
 mis adversantis fortunæ injuriis ni-
 hilo magis territus, in Flandriam rever-
 titur, viduam Burgundiæ Ducissam in-
 visurus, a qua, perinde ac si omnem do-
 li fabricam feliciter absolvisset, haud
 remissioribus benevolentiae signis excep-
 tus est. Post hæc Ducissæ bene visum,
 Perkinum in Hiberniam mittere, ubi e-
 tiam pervenit, Henrico interea Senatam
 suum Londini convocante. Verum cum
 ibidem portus securitate ac factiosorum
 auxilio destitutus esset, & Poyningus
 Regis auctoritatem firmiter ibi, poten-
 terque stabiliisset, in Scotiam secessit, a
 Jacobo IV. Rege perbenigne receptus,
 eoquod ille Henrico infensus esset, atque
 ad tuenda Perkinij jura a Burgundiæ vi-
 dua, Carolo Galliarum Rege, & Maxi-
 miliano Cæsare impense sollicitaretur;
 uterque enim Angliæ Regi vehementer
 N 5 indi-

Sæcul. XV.
A. C. 1497.

indignabatur, Carolus quidem, quod Rex foederi inter Italiæ Principes inito accessisset, alter vero, quod Henricus cunctis suis subditis commercium cum Flandris, proposita poenarum severitate, inhibuisset.

§. CXXXVII.

*Hunley Comitis Filia ex Scotiæ
Regis jussu Perkino desponsata.*

*Bucanam.
rer. Scotic.
l. 12.*

Rex Scotiæ omnibus Perkini verbis fidem suam addicens, eundem in patrocinium suum accepit, eoque devenit, ut, amicitiam suam luculento testaturus argumento, Perkino Catharinam Gourdon Comitis Hunley filiam, adolescentulam regio generi propinquam, matrimonio jungeret. Erat illa Virgo nonnisi quindecim annos nata, corporis forma excellens, omnique virtutum genere longe illustrior. Peractis hisce negotiis, ipse Rex, juncta Perkini operam, milites conducit, ac Northumbriæ Provinciam ingreditur, in qua Perkinus, assumpto Richardi IV. nomine, adversus Henricum VII. impudens edictum publicari jubet, in quo Regem, constituto in ejus necem pretio, tyrannum proclamat, & ampla